

- | | | | |
|-----|----------------|--------|------------------------|
| * 1 | Canis maior | * 9 | Lyra Orphei |
| * 2 | Canis minor | * 10 | Vultur cadens |
| * 3 | Hydra | * 11 | Ala equina |
| * 4 | Cor Leonis | * 12 | Venter Ceti |
| * 5 | Cauda Leonis | *** 13 | Pleiades |
| * 6 | Spica virginis | * 14 | Oculus Tauri |
| * 7 | Bootes | * 15 | Pes Orionis sinister |
| * 8 | Cor Scorpionis | * 16 | Humerus eiusdem dexter |

Et sicut singuli stellis adiuncti sunt numeri, ita iidem in magnitudinibus quoque sunt compositi ad quas stellæ propositæ pertinent. Numeris in hoc stellis adposui, ut expeditius in superioribus illis regionibus Zodiacis cognosci queant. Et sicut Stellis singulis numeri adnexi ita puncta quoque nigra sunt adscripta, à quibus linea breuis, sed punctulis quibusdam minutulis ducta, ad Zodiacos regionum usque porrigitur, significans, quod ubi per eiusmodi stellarum aliquam noctis horam dignoscere quis volet, ut ab illa nota siue nigro puncto Stellæ imaginariam lineam æquidiali tam æquidistanter usque ad Zodiacum suæ regionis ducat. Eius rei hoc tibi exemplum cape. Sit stella proposita Cauda Leonis, eius locum in Zodiaco elevationis Poli 48. graduum inquisiturus, inuenio principio illam esse in ordine quintam, & ideo accipio in summitate stellam cui numerus 5. est adiunctus, duceque lineam imaginariam æquatori æquidistantem usque ad Zodiacum 48. gra. & tunc locus stellæ precise mihi cadet ad medium crucis, qua Zodiacus 48. gr. est consignatus.

PROBLEMA XI.

*Quæ nam sit Zodiaci illius qui utrinque
à globis duobus descendit significatio?*

Signa Zodiaci 12. in duas partes distribui, & ex utraque parte sex apposui, naturali ordine obseruato. Imaginaberis igitur sic quasi primus gradus Libræ ad sinistram consistat iuxta vltimum gradum ♍, & vltimus ♋ ad primum ♍, sicque circulum integrum conficiant. Neque verò zodiacus iste ad aliud conducit, nisi ut gradum siue nadir Solis ibi inquiras, horam nocturnam ex astris obseruaturus. Sed de iis plura parte secunda in vsu huius Horoscopii.

PROBLEMA XII.

*Sed quæ adhuc sunt umbrarum puncta, ex quibus altitudinum,
latitudinum & profunditatum commensuratio pendet?*

Vides ne ad sinistram in postrema linea puncta 100. vicissim alba & nigra, quibus adscriptum est umbræ rectæ titulum? similiter in inferiori parte puncta cernis utique itidem 100. sed umbræ versæ, & hæc duæ lineæ vno vocabulo scalæ vocantur altimetræ. In dextra quoque parte ad summitatem Horoscopii globus parvus positus est stellulis aliquot insignitus, super eum orbes itidem minutulos duos alterum in altero constituimus, & super eodem crucem paruulam, Vbi scias globum quidem & crucem per se nihil significare, Verum, si quando per scalas altimetræ dimetiri aliquid volueris, Brachiolum cum litera P super orbiculum internum super cruce reponere debes, sicut patebit in vsu.

Conclusio primæ partis de Horoscopii huius præparatione.

Videor mihi hætenus huius instrumenti partes omnes sufficienter declarasse, reliquum est docere idem Horoscopium ad vsum rectius præparare. Ideoque extra librum hunc Horoscopion solū excudi curavi, illud super asserem probe dedolatum papiroque rectissime